



Conradus natus est Rubeaci in Alsatia honestis parentibus, anno circiter 1515. Ibi cum ingenio ualeret, à pueris literis incubuit, & prima rudimenta feliciter percepit. postea uero 1535 sese ad Heidelbergensem academiam contulit, atq; bonis artibus preclaram operam nauauit, ita ut etiam anno 1539 artium Magister crearetur. Deinde uero annum ad Thcologiae studium conuertit, & sacra rum literarum lectionem sibi familiarem reddidit. In primis uero Historijs delectatus ab adolescentia omnium gentium acta obseruauit, & temporū series inter se contulit. Eam diligētiam cum M. Hein ricus Stollius Heydelbergensis Ecclesiastes in eo obseruaret, eum plurimum dilexit, & 1541 secum Ratisbonam ad Theologorum colloquium adduxit. Ibi Conradus procerum mores animaduertit, & comitijs finitis Heydelbergam rediit. In eo loco per triennium una familiariter uiximus, atq; uterq; M. Lucam Schroteysen Rubeaquensem, tum scholae professorem, postea lureconsultum & Vuirtenbergicum in Montisbellgardensi comitatu Cancellarium (quem honoris causa nomino) preceptorem & patrum habuimus. Tandem etiam 1542 unā Basileam reuersi, ipse statim in artium professorem receptus fuit. Ibi cum per triennium Grammatica & Dia lectica præcepta magna fidelitate docuisset, ad Ecclesiam S. Leonhardi Dia conus uocatus est. Eam functionem is pio animo suscepit, & ad finem uite us que continuauit.